DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VI. MARTII.

M. IOANNE BAPTISTA MOREAV Doctore Medico & Professore Regio, Moderatore.

An vnus idèmque in assumendis alimentis seruandus ordo? 1094.

ID propriè alimentum est, quod in viuentis partium facessit substantiam. Quod concedere aptum natum est τὸ μέλλον τροφή; hoc, vt excrementum, medicamentum & venenum τὸ τρέφον τι, non illud. Quicquid alitur viuit, non contrà. Τὸ διαμονητικὸν stare potest ἄνευ τοῦ θρεπτικοῦ, τὸ αἰσθητικὸν non item. Quicquid alit, non protinus vixit. Plantæ & animalium plurima, inter hæc τῶν ζωοφύτων nonnulla (omnia ex aquatilium, nulla ex terrestrium familiâ) simplicissimis, mistis tamen, vitæ nescijs nec multiplicibus gaudent cibis. Homini tam multa ad vescendum, tàm varia tàmque jucunda gignit natura, vt ambigi possit, vtrum ipsa, an ars magis studeat varietate delectare & copiâ. Illorum nullum est, quîcum homini totiûs substantiæ familiaritas non intersit, siue vsu cognita siue non, oculorum intuitu vel olfactu, certiùs gustu exploranda, vt appetatur. Nullum prorsus inter quod & partes, quibus incumbit illud præparare, alterare, coquere & subigere, ea non adsit substantiæ, quantitatis & qualitatum omnium commoderatio, vt ab ipsis incidi, frangi, teri, comminui, alterari, coqui & planè immutari non possit: Nullum denique, in quo ea non insit substantiæ similitudo, saporis suauitate dignoscenda, quam subesse par est, vt immutatum virium robur tueatur, partium resarciat iacturam & ad corporis incrementum sat esse possit.

HOMINIS corpus triplici constat substantiâ, cujus perennis sensìm fit deperditio copiâ & celeritate dispar; spirituosâ (non solo aëre) humidâ (non potulentis tantum) solidâ (non ipsis duntaxat esculentis reparandâ.) In eum finem alimentum simplex non est, sed ex pluribus conflatum substantijs nutriendi vim habentibus & excrementitijs (adeò nonnũquam inter se discrepantibus, vt cognatio & simultas, similitudo & dissimilitudo, amicitia & dissidium fœdus inijsse videantur) quarum mistura variáque proportio differentiarum omnium fons est. Permistione sic infringuntur substantiarum omnium qualitates omnes vt nulla vincat & concretum temperatum est, vel vna aut altera exuperat, tuncque intemperatum: Illud omninò alimentum, hoc cùm adjuncto medicamentosum aut venenosum prò temperamenti emergentis naturâ. Ex diuerso earum commensu τρόφιμον est multum diuque nutriens, vel multum & non diu, ἐξίτηλον nec multum nec diù, περιττωματικὸν vel ἀπέριττον, boni vel mali succi, tenuium vel crassarum partium, potulentum vel esculentum, durum vel molle, εὐαλλοίωτον vel δυσαλλοίωτον, coctu facile vel difficile &c.

IN tantâ ciborum varietate, ad rectum eorum vsum delectu opus est, præuiâ cognitione per sensus externos hausta vsúque firmatâ. Cui selecta competant necne ratio definiat, prò vniuscujusque naturâ, temperamento & consuetudine. Vni naturæ indigentiæ prospicere qui satagit, facili cibo nec per artem voluptatémque corrupto famem explet; vel certè nihil ad panem præter vnum aut alterum edulium adhibet, vnico potûs genere sitim sedat. Qui illi seruire dùm simulat, gulæ seruit, multiplicibus dapibus, plerùmque inter se diffidentibus, varijsque potionibus erudito lenocinatur palato. Quibus ne in suæ sanitatis abutatur dispendium, ordinem in illis oggerendis seruet (quem discordes ingredi nefas) cui standum suaserint escarum conditio & ventriculi esurientis constitutio. Ab illâ ne vna esto constansque assumendorum lex & series: ab hâc siuè naturali siuè ascititiâ tam multiplex statuatur, quàm variari in dies contigit prò cujusque ætate, regione, anni tempore ac tempestate & vitæ conditione.

NVTRITIO triplici coctione perficitur, posteriore prioris vitium non emendante. Ventriculus alimentorum promptuarium primæ opifex est. Hæc vna in nostrâ potestate & arbitrio sita ciborum delectu, quantitate & vtendi modo; hic tempore & ordine continetur. Illam plurimùm juuat promouétque recta jngestorum series, non vna. Ventriculo benè morato, quæ tenuis sunt substantiæ, εὐαλλοίωτα, εὔπεπτα primitùs inferantur: Impuro, quæ eius sordes eluunt lubricando, molliendo vel jrritando: Æstuanti, quæ refrigerare valent, & ea crassæ substantiæ alteratu & coctu difficilia, non contrà, si acrior sit illius calor: Frigidiori actu calida, calefaciendi vi prædita, potulenta, λεπτομερῆ, εὐαλλοίωτα, εὔπεπτα: Sicciori, quæ humectandi vi pollent, nec adeó facilè effluunt aut coquuntur: Humidiori, quæ exsiccant humoréſque superfluos ebibunt: Illius substantiâ laxiore, quæ adstringendo eam compactiorem reddunt. Eorumdem ordine præpostero vitiatur coctio, ingesta cibaria corrumpuntur. A ventriculi jgitur constitutione jngerendorum alimentorum ordo & series.

VENTRICVLI opificium θεῖόν τε καὶ οὐκ ἀνθρώπειον ritè contemplanti videbitur. Mira est jllius in suâ functione publicâ œconomia, sinu suo excepta alimenta vtròque priùs occluso orificio amplexatur, assiduè exagitat, ab inutili aut noxio repurgat, succo acido fermenti instar ζυμώσεως auctore ipsa quoquouersùm peruadente atterit & suo, partiũ vicinarum, sanguinis & spirituum in laborantis subsidiũ accurrentium calore alterat; sed illorum qualitatibus adhuc integris, aut sopitis in actum erumpentibus repatitur, dùm earum plurimis refractis & retusis victor euaserit; tùm conficit planè immutat, prioribus formis, non viribus omnibus, amissis noua imprimitur, à quâ chylus existit, humor candidus cremori hordei haud absimilis, ex varijs conflatus substantijs, alibili vnâ dulci ideòque εὐαροτρόφῳ solâ sanguinis formam in hepate gratiosi humoris fonte adepturâ; tribus excrementitijs, viscidiore ventriculi & intestinorum parietibus vltrò adhærente; fœculentiore in crassa intestina protrudendâ; & tenuiore eâque acidâ, quæ altilis postmodùm resorbendæ permixtione albicat, per exiliores mesenterij venas in exiguũ penu jrrepente: jnibi cum exuberat per thoracicum canalem, non adeò insignem refluit, & paulatim in venæ cauæ ascendentis ramos, non frustrà effunditur. Earum proportio non eadem semper, diuersa est prò cibariorum naturâ & coctionis ratione: Hæc celerius fit in fundo, quàm in alijs ventriculi partibus; absolutæ opus in intestina secernitur non expectatâ residui coctione. Perfectior á rectâ partis coquentis constitutione: jmperfectior vel vitiosa ab eâ labefactatâ. In illâ vna est sumendorum ferculorum series, quâ τὰ λεπτομερῆ, εὐαλλοίωτα & εὔπεπτα alijs præmittuntur. In hâc multiplex, quâ priùs ingeruntur quæ ventriculi vitium qualitatibus illi oppositis, aut contrarijs tollunt, vel corrigunt: vel substantiæ modo illi obsistunt & reluctantur, vel substantiæ tenuitate alterationis aut coctionis facilitate ventriculo vix facessunt negotium.

Non ergò vnus idèmque in assumendis alimentis seruandus ordo.



534

Proponebat Lutetiæ DIONYSIVS PVYLON Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LIX.